

quando claudet sinum suum, et præcinget eum zona, eaque aurea, id est, justissima. Si enim spreverunt eum, cum lac porrigeret, merito spernuntur, cum tempus non est porrigendi.

V. Caput ejus et capilli candidi, tamquam lana alba et tamquam nix; id est, consilia et judicia Judicis purissima, sincerissima, et justissima, ut explicat Joachimus abbas. Scio quod Cant. V. ubi tamquam juvenis adhuc depingitur, comæ ejus nigra dicuntur quasi corvus: quia nunc dum vivimus, Christum velut juvenem liberalissimum experimur; donat enim cælum pro gemitu, centuplum pro simplo, gratiam pro lacryma. Sed non ita cum ad judicium sedebit: ibi canus, ibi antiquus dierum erit, nemini gratiam facturus; sed merita tantum cujusque ponderaturus, quæ quisque habet et corrogavit. Facillime largiuntur juvenes, non item senes; quia experientia norunt difficultatem acquirendi, quod nondum experti juvenes. Deinde minima etiam perscrutabitur. Unde Job. c. XIII. ait: *Paleam et stipulam persequeris*. Eadem scilicet accuratissime trutinabit. Et Proverb. XVI. dicitur: *Spirituum ponderator est Dominus, id est cogitationum etiam minutissimarum*.

VI. Oculi ejus tamquam flamma ignis, id est, perspicacissimi, quia ut ad Hebr. IV. dicitur: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*. Ignis enim subtilissimus est, et in omnia se facile insinuat. Unde Job. ait c. XIV. *Gressus meos dinumerasti*; et Psalm. CXXXVIII. *In libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, et nemo in eis, id est, deerit*. Quin etiam cum hic aliquibus dormire videtur Dominus, et oculos claudere, nec videre facta hominum; omnia tamen notat: unde Ps. X. dicitur: *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*, id est, exactissime cognoscit, etiam cum oculos habere clausos putatur, quasi per examen strictissimum didicisset. Oculi ignem spirantes, etiam noctu vident, uti luporum, lyncium, felium, etc. Ita nihil opertum, quod non videat et revelet Judex noster: et quæ in tenebris diximus, dicet in lumine.

VII. Pedes ejus similes aurichalco in camino ardenti, id est, judicia ejus inflexibilia. Nam pedes ex aurichalco constat in progressu non curvari: ita Cant. V. crura Sponsi columnis marmoreis comparantur fundatis super bases aureas. Quod dicitur, in camino ardenti, inflexibilitatem illam judicii ex ardentissimo justitiæ zelo provenire indicat. Dum hic nobis cum graditur Dominus, more humano incedit, curvando paulisper genua, flectendo et limitando debitas peccatoribus pœnas; sed non item ibi: marmorea erunt et ex aurichalco ejus crura: ubi pedem fixerit, ibi inflexibiliter stabit. Hoc idem indicatur per virgam duplicem, cujus meminit S. Scriptura, flexibilem unam, de qua

Psal. XXII. dicitur: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Ubi virga denotatur esse lignea seu baculus, qui facile curvatur, si in apice quid appendas. Altera erit inflexibilis in judicio, utpote ferrea, de qua Psal. II. *Reges eos in virga ferrea*. In nostris tribunalibus facile interdum flectitur virga, si in apice videlicet marsupium appendas. Christi judicis virga, non lignea, sed ferrea erit, adeoque inflexibilis.

VIII. Vox illius tamquam vox aquarum multarum, q. d. terrificæ erit quasi unius integri exercitus; et longissime audietur, nam uti aqua fluminis, v. g. Danubii nostri, si multo tempore detineretur a fluxu (uti contingit Jordani Jos. III.) tandem rupto obstaculo effunderet se maximo cum impetu et strepitu: sic ira Dei per tot annos sæpe se continens, quid mirum, si tandem cum impetu uti aqua plurimæ erumpat, quemadmodum Dan. VIII dicitur: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur de ore Dei*. Hoc enim est, quod Dominus Isa. XLII. ait: *Tacui, semper siti, patiens fui; sicut parturiens loquar: dissipabo et absorbebo simul*. Hinc metuens sibi Job. c. XXXI. ait: *Semper quasi lumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui*. Et quomodo, putatis, ferent damnati pondus illius sententiæ: *Surgite mortui, venite ad judicium?* Quomodo illius: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare?* etc. Quomodo illius: *Ite maledicti, etc.*

IX. Habebat in dextera sua stellas septem. Quod ad litteram de septem episcopis intelligitur, ad quos scribit Joannes. Et quia eorum boni aliqui, aliqui mali, universos homines per eos intelligere possumus. Uti enim stellarum aliquæ fixæ, aliquæ erraticæ: ita hominum aliqui rectum iter tenentes, alii errantes ut planetæ, qui in Can. Judæ, sidera errantia vocantur. Itaque omnes in manu Dei sunt, juxta id Isa. XLIX. In manibus meis descripsi te, tum quia omnes in ejus potestate, tum quia nullius obliviscitur, sed diverso modo: nam justus in manu ejus sunt quasi cælati, nunquam scilicet abjiciendi; de his enim ait Joan. X. *Non rapiet eos quisquam de manu mea*; impii vero ut eos prosternat, Psal. CV. *Elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos*. Quantum hoc supplicium, abjici e manu protectionis Dei, et prosterni in centrum terræ sedemque Luciferi!

X. Et de ore ejus exibat gladius utraque parte acutus. Quod explicat Rupertus de sententiâ Judicis definitiva et ejusdem executione, juxta id Deut. XXXII. *Si acervo ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea. Inebriabo sagittas meas sanguine; et gladius meus devorabit carnes*; id est consumet omnem carnis corruptibilitatem, ita ut tam mali quam boni mori amplius nequeant. Anceps porro est

## THEMA.

*Videte ficulneam et omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas*. Luc. XXI.

Primum Christi adventum, quoad omnes pene circumstantias præviderunt exactissime, et denuntiarunt Prophetæ: quod nimirum nasciturus esset ex virgine, quod in Bethlehem, quod post translationem sceptri de Juda; quod media nocte, quod inter bovem et asinum, etc. Sed non ita accurate depinxerunt nobis secundum Christi adventum. Imo Malachias c. III. ait: *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum?* Quod ergo nobis dicere Prophetæ non potuerunt, hoc prædixit nobis Christus, qui utique adventum suum optime noverat, idque explicavit per varias similitudines, quas hic excutiemus.

I. In hodierno Evangelio comparat Christus adventum suum ficulneæ germinanti et explicanti se initio ætatis, quam vicinam esse ostendit. Idem ante octiduum audivimus ex Matt. c. XXIV. *Ab arbore fici discite parabolam, cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas, etc.* Ratio prima, quia dies ille consolabitur et recreabit justos, quod indicet hiemem tribulationis et miseriarum transisse, et ætatem gloriæ advenire: sicut vernantes arbores annuntiant nobis ætatis initium, et tunc recreantur homines omniaque animalia, volucres maxime, quæ iterum e latibulis suis prodeunt, et vario modulamine aerem demulcent. Unde S. Greg. hom. in Evang. ait: *Bene autem regnum Dei ætati comparatur, quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, cum vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt*.

Hinc Dominus servos suos bono animo esse jubet: *His autem fieri incipientibus inquit, respicite et levate capita vestra*, quasi dicat hilares estote: tunc enim germinabunt ossa justorum, et decorem induent. Contra reprobis post serenam ætatem, quam hic agunt, incipiet tunc hiems et tempus procellosum.

Secunda, quia sicut in vere arbores frugiferæ, quæ per hiemem emortuæ apparebant, uti in primis ficus, ab infrugiferis discernuntur, quæ prius nihil inter se differre videbantur, juxta illud ad Col. III. *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*; sic etiam dies illa ostendet fructus bonorum, qui hic contempti jacebant, et inutiles habebantur. Latet enim hic succus divinæ gratiæ in justis, unde nesciuntur et contemnuntur eorum opera, vitæque austeritas. Ita S. Tobias a propria uxore propter suam cæcitate, qua nihil differre a reprobis videbatur, spretus est, Tob. II. dicente illa: *Manifeste vana facta est spes tua, et elemosynæ tuæ modo apparuerunt*. Sed expecta

hic gladius, quia bonis et malis erit formidabile hoc judicium; his quidem, quia reos se agnoscunt, illis vero quia nisi gratia Dei liberati essent, nullo modo viribus suis evadere potuissent, quemadmodum si pater sontem castigat filium, timent etiam insontes, quia in eandem culpam se incidere potuisse cogitant. Unde thronum Salomonis utraque ex parte custodiebat efformatus Leo, quia (ut Rupertus lib. III. in lib. Reg. cap. XXXI. ait) *Utrobique fortis atque formidabilis erit judicii veritas. Etenim a sinistra omnis iniquus condemnabitur, et a dextera justus vix salvabitur*. Hæc ille.

XI. Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua, id est, in meridie. Quæ hactenus dicta sunt, ad potentiam et virtutem judicis pertinent. Quia vero Evangelistæ dicunt etiam in gloria et majestate apparituro, hic describitur ejus gloria, quia facies ejus splendebit uti sol, cum maxime splendet. Si enim *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, ut dicitur Matth. XIII. quanto magis Christus, qui virtute sua, non aliena lucebit? S. Hieron. super Matth. ait: *In die judicii sol et luna obscurabuntur non di minutione luminis, sed computatione veri luminis. Alioquin legimus solem habiturum septuplum luminis, sed comparatione veræ lucis omnia tenebrosa erunt*. Quantum igitur erit splendor illius faciei, si solem alioqui septuplo clariorem fulgore suo obscurabit? Sol erat Christus in terris, qui ortus in nativitate, occubuit in cruce. Sed diem illum Christi pauci adverterunt, quia tectus erat sol nube humanitatis, multo vero magis obstinata Judæorum cæcitate. Rediit in resurrectione, incipiens alterum diem clarum, interminabilem; ascendit in ascensione: sedebit in meridie in judicio, sed nunquam deinceps occumbet, nisi reprobis, quibus in æternum occultabitur. Postquam igitur vidimus Regis nostri majestatem, fortitudinem, arma, potentiam, terrorem omni comparatione majorem, mittamus ad Regem hunc potentissimum legationem, et rogemus ea quæ pacis sunt. Quis enim poterit stare ante illum? Certe Job c. IX. ait: *Si voluerit contendere cum eo (homo) non poterit ei respondere unum pro mille*; et David Psal. CXLII. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*.

## CONCIO VII.

QUALIS SIT FUTURUS ADVENTUS CHRISTI AD JUDICIUM.

I. Similis ficulneæ. — II. Similis fulguri. — III. Similis sponso. — IV. Similis furi. — V. Similis messi. — VI. Similis sagenæ. — VII. Similis temporis diluvii.

parumper mulier ; nondum apparuit fructus eleemosynarum ejus, quia adhuc hiems est, apparebit suo tempore, quando incipiet æstas. Tunc enim de justis dicent reprobi : *Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore ; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei !* Sap. V.

Tertia, quia sicut germinantem ficum nulla pruina vel gelu subsequitur, quæ germina ejus decoquant, (quod tamen aliis accidit arboribus) sic ætatem illam electorum nulla sequetur tribulatio, juxta id Apoc. XXI. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Nullum hujus mundi gaudium est, quod non variat cum tristitia : unde sereno cælo semper meminisse debemus nubilosi temporis, brevi adventuri. Et quomodo gaudere possumus, si recordemur illius horæ, qua in ultimo conflictu cum morte luctari, et postea iudici sisti debemus? Sed postmodum nihil horum amplius electos perturbabit, quia neque morbus, neque dolor, neque mors, neque iudicium supererit aliquando subeundum.

II. Comparat eum Christus fulguri, Matth. XXIV. uti ante octiduum in Evang. audivimus : *Sicut enim fulgur, ait Dominus, exiit ab oriente, et parit usque in occidentem ; ita adventus Filii hominis erit.* Primo, quia uti fulgur non solum manifestum est, sed etiam manifestat ea, quæ in tenebris sunt, et de nocte alias videri nequeunt ; sic Christi adventus manifestus erit, omnibusque innotescet, juxta id Isa. LII. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei.* Et præterea *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium,* alioquin abditissima. Uti etiam fulgur repente apparet in aere ; sic apparebit Christus ad iudicium veniens. Quantum confundentur ibi, qui hic coram uno sacerdote erubescunt confiteri ? Item cum videbunt se tam enormiter aberrasse a salutis via ? Quemadmodum enim qui de nocte in tenebris ambulat, forte micante fulgure cognoscit se aberrasse, sic qui modo in tenebris ambulat, nec præferri pedibus suis lucernam verbi Dei volunt, quod putant se recte ambulare posse etiam absque duce in die illa cum micabit fulgur, illud super omnium conscientia, videbunt se misere deceptos, ac dicent cum damnatis illis, Sap. V. *Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis.*

Secundo, quia uti fulgur omnium animos percellit, et horrore conculcit propter subsequens tonitru, et sæpe cadens fulmen, unde ad fulminis conspectum mox signamus frontem et invocamus nomen Jesu ; sic adventus et aspectus Christi iudicis erit omnibus, qui malæ sunt conscientia : quia tunc intelligent brevi subse-

cuturum horrendum illud tonitru, et fulmen : *Ite maledicti.* Magna vis est fulminis ; sed nihil ad sententiam iudicis, quæ tanto vehementior erit, quanto majorem invenerit duritiem ac resistantiam, terram scindet, et in ejus voraginem reprobos dejiciet. Neque juvabit ibi frontem cruce consignare, et nomen Domini invocare, nisi hic id feceris. Viderint itaque, qui de iudicio et morte nihil audire volunt, qua ratione tonitru id audituri sint. Si enim nunc audire non possunt nudam iudicii mentionem, sed tremiscunt uti præses ille Felix ad dissertationem Pauli de iudicio Actor. XXIV. quomodo reipsa sustinebunt tonitru illud ? Contra sicut equi bello assuefacti, non horrent amplius bombardarum fragorem, ita qui in iudicii memoria sedulo se excercerent, absque pavore sententiam excipient ; quia nomen Christi in frontibus suis gerunt.

Tertio, quia sicut fulgur momentaneum est, ita et iudicium ; brevissima enim erit ejus mora : forte quia reprobi digni non habebunt intueri diu splendorem et gloriam Christi ac sanctorum. Quemadmodum enim Assuerus, patefacta Amanis malitia, de mensa in qua sedebat etiam Aman, statim surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum, Esth. VII. ita etiam Christus, cum patebunt impiorum scelera, ab eorum conspectu illico se subducent.

III. Sponso procedenti ad nuptiam et nuptias celebrandas Matth. XXV. Primo quia tunc Christus Ecclesiæ sponsus cum SS. Angelis de cælo veniet, sponsam Ecclesiam suam deducturus secum ad cælestes nuptias. In præsentia enim tempore, quasi inter sponsalia et nuptia, constituti sumus, per fidem Christi desponsati et probamur utrum sponso nostro fideles simus ; ibi fiet deductio ad domum sponsi, et inchoabuntur nuptiæ nunquam finiendæ. Hinc illa beatorum exultatio Apoc. XIX. *Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni et uxor ejus præparavit se.* Totum hoc tempus nobis datur, ut præparemus nos ad occursum sponsi nostri.

Secundo, quia quemadmodum sponsus ornatisime, quantum ejus ferunt facultates, vestitus incedit ; sic veniet etiam Christus gloria et decore indutus, *Cum virtute multa et majestate.* Virtus ejus patebit in omnipotentia et potestate iudicandi plenaria, qua omnia potest subigere, et si vellet, annihilare ; deinde in assistentia Angelorum et omnium creaturarum, quæ paratas se offerent in ultionem inimicorum ejus, juxta id Sapientia, V. *Puñabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Majestas patebit in glorioso ejus corpore super solem splendido : item in sanctorum omnium comitatu. Musica

ejus erit cædes hostium juxta id Ezech. XXXVII. *In tympanis et citharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos.* Maximus honor Christi tunc erit, cum vindictam sumet de hostibus suis, quos tandiu toleravit, et ad pœnitentiam frustra expectavit. Sic enim Exod. XIV. deleturus Pharaonem, ait : *Glorificabor in Pharaone.* Denique quantum sponsi decor recreabit electos, tantum sauciabit oculos reproborum.

Tertio, quia sicut ad honorem sponsi, omnes convivæ nuptiales decore vestiti esse solent, ita quicumque ad cælestes Christi nuptias admittentur, gratia et bonis operibus ornati esse debent. Hoc indicat lampas illa ardens et oleum virginum prudentum : hoc significat vestis illa nuptialis, qua qui caruit, ejectus e convivio est in tenebras exteriores.

IV. Comparat eum Dominus furi, Matth. XXIV. *Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, etc.* Et Apoc. XVI. *Ecce venio sicut fur.* Similiter et Apostolus I. Thess. V. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Et Petrus II. Petr. III. *Adveniet dies Domini ut fur.* Primo, quia ad instar furis improviso veniet, et inexpectato, ut sciamus semper nobis vigilandum. *Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique :* nos quia semper expectamus, ideo semper vigilemus. Securissimos se putabant homines ante diluvium, quemadmodum et Sodomitæ, cum repente supervenit in eos ira Dei : sic opprimet homines dies illa, cum minime existimabunt, et quidem justo Dei iudicio ; ut, qui dum pœnitere poterant, noluerunt, pœnitere non possint, dum volent, et tempus pœnitentiæ eis negetur, qui tempus sibi datum neglexerunt. Ægyptii, ait Horus Apol. l. 2. h ierogl. XXIV. volentes significare mortem, pingebant nycticoracem. Quia ut hic de nocte cornicum pullos diripit, sic illa inopinato homines invadit, quemadmodum et faciet dies iudicii.

Secundo, quia sicut fur non expectat tempus furandi, quo vigilat paterfamilias, sed potius quo dormit profundissime et somno sopitus jacet ; sic etiam dies Domini sæpe adveniet hominibus malis, non quando ipsi vigilant, et in bono statu sunt cæloque aptiores : sed quando ineptiores et inferno digniores. Unde falluntur, qui putant tunc avocari semper ex hac vita homines, quando sunt in meliore statu vitæ suæ. Nam Pharaon submersus fuit quando ad extremam malitiæ pertinaciam venit ; filii Job ruina domus oppressi sunt, non quando in domo patris innocenter vivebant, sed quando in domo primogeniti epulabantur et bibebant ; Saul et Judas non quando adhuc boni erant, de vita hac abrepti sunt, sed quando pessimi erant. Ratio, quia tunc maxime meretur exterminari homo et

inferno tradi, quando infernum magis meretur. Unde Dominus Pharisæis : *Implete mensuram patrum vestrorum,* inquit. Quod si non semper fiat, mera et mira Dei misericordia est. Testatur hoc Scriptura de Saule I. Paral. X. ubi ait : *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, et non custodierit illud : sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino, propter quod interfecit eum.*

Tertio, quia sicut fur, si patrem familias inveniat vigilantem, reverenter alloquitur, nulloque afficit damno, dormientem vero spoliatur, et quandoque occidit ; sic Christus quos vigilantes offendet, benigne accipiet juxta id Luc. XII. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes ;* dormientes vero puniet eorum que cistas, id est conscientias reserabit, nolint, velint.

V. Comparatur messi, Matth. XIII. *In tempore messis dicam messoribus : colligite primum zizania, etc.* Similiter Apocal. cap. XIV. describitur Christus ad iudicium cum falce acuta ad demetendum terram veniens. Primo, quia sicut ante messem ager plenus frugum est, paulo vero post cum demessus fuerit, ne culmus quidem unus reliquus conspicitur ; sic dum hominibus plenus est mundus, per iudicii diem ita demetetur et evacuabitur, ut nihil eorum, quæ videmus, superfuturum sit ; ne unicus quidem homo : nemo quippe manum metentium effugiet Angelorum.

Secundo, quia sicut fruges, dum adhuc in agro sunt, frumuntur terræ pinguedine, pluviarum et solis beneficio, indeque crescunt et maturescunt, demessæ vero nullo horum amplius gaudere possunt ; ita homines quamdiu vivunt, participes sunt honorum Ecclesiæ et gratiæ divini ; præcisi vero per mortem non amplius : quia hic in via sunt, ibi in termino.

Tertio, quia sicut culmi in agro inæquales sunt, alter altero sublimior, plenior et fortior, post messem vero omnes æquantur ; ita et in hac vita maximum est discrimen inter homines, alii domini, alii divites, alii subditi, etc. Post mortem vero omnes æquantur, nullaque inter ossa eorum est disparitas ; omnes item coram Domini tribunali sistere se debent, *Ut ferat unusquisque prout gessit, etc.* Tum zizania ligabuntur in fasciculos ad comburendum, triticum vero congregabitur in horreum Dei : rursum tunc triturabuntur et ventilabuntur fruges ; et paleæ quidem tradentur igni, triticum vero inseretur Dei granario.

VI. Sagenæ missæ in mare et ex omni genere piscium congreganti, Matth. XIII. quia, ut pisces paulatim congregantur in sagenam, tandem sagenam ad littus educitur et cum ea pisces omnes

boni retinentur, inutiles abjiciuntur, et corvis præda fiunt; sic mors nos omnes paulatim congregat in sagena sua, et tandem in die illa omnes e sepulchris extrahet, et exhibunt Angeli et separabunt malos de bonis. O tristem reparationem! Quam ægre valedicimus morituris nostris patribus, fratribus, amicis! Et tamen tunc speramus eos revidere in beata vita. Quid erit separari in æternum? Hoc est, quod ait Dominus: *Erunt duo in lecto uno: unus assumetur, et alter relinquetur.*

VII. Denique adventui diluvii comparatur, Matth. XXIV. *Sicut in diebus Noe, ait Dominus, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis.* Horrendum sane fuit diluvii spectaculum, sensim crescentibus aquis, circumcursabant per domos tremulæ matres cum parvulis, nescientes quo pergerent: surgebant alii pavidi de mensa, et effugium quærebant; e cubili exiliebant sponsus et sponsa, huc ille, et illuc illa fugiebat, ut salientem evaderent undam. Vidisses quosdam repente superiora domus, alios etiam tectorum cacumina conscendere, nonnullos item excelsarum arborum ramos scandere, alios vero cum festinatione ad collium montiumque juga se proripere; sed frustra, nemo enim hanc aquarum vim et impetum evadere potuit. Ubique pavor, ubique tremor. O quam dolebant tunc, quod Noe hæc comminantem non audierant, sed irriserant. O Noe quam sapuisti, inquebant! O nos dementes, quam insani, quam stolidi fuimus! O si jam liceret arcam ingredi, quam cuperemus etiam tota vita in ea includi! Potuimus aliquando, sed nolimus; nunc volumus, sed non possumus. Ita pulehre in Gen. Cornel. a Lap. Similis, imo longe major erit calamitas in die iudicii, qui omnes ex improvise obruet et incendio, aliisque cladibus innumeris involvet. Ergo, auditores, quando per complures imagines inspeximus diem illum, superest ut ad eum sedulo nos paremus, ne quadret in nos illud, quod Judæis exprobrat Deus per Jeremiam c. VIII. *Milvus in celo cognovit tempus suum; turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Cognoscunt enim aves istæ tempus verum velut commodum ad redeundum et nidificandum; rursus tempus hibernum ad abeundum, et in tutiora loca se recipiendum; nos igitur adeo stupidi erimus, ut tempus extremi iudicii, bonis quidem blandum et serenum, reprobis vero austerum et procellosum non agnoscamus? Non muniamus contra fulgur il-

lud? Non ornemus ad nuptias agni? Non vigilemus furi? Non agnoscamus tempus messis? Non provideamus sagemam illam? Non fugiamus a diluvio illo?

## CONCIO VIII.

INDICIA MUNDI JAM SENESCENTIS.

I. Raritas sanctorum. — II. Abundantia iniquitatis. — III. Defectus fidei. — IV. Romani imperii ruina. — V. Mundi perversitas.

## THEMA.

*Cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Luc. XXI.

Quod olim Aristoteles fertur respondisse Alexandro Magno, scripsisse videlicet se libros suos (Physicorum) et non edidisse, quod ita obscure scripsisset, ut pauci intellecturi essent; idem fere respondit Dominus discipulis interrogantibus de tempore excidii Jerosolymitani, consummationis sæculi, et adventus sui ad iudicium. Matth. XXIV. Ita enim illis ad hæc respondet, ut difficile sit dignoscere, quæ verba ad primum, quæ ad secundum, et tertium tempus pertineant; (quod tamen clarum fiet, cum omnia illa contigerint) et si quid inde certi colligimus sola propinquitatis est temporum illorum certa, designatio non est. Nimirum voluit nos Dominus abstinere a curiositate, et tristia illa tempora semper expectare. Quod ad primam quæstionem attinet, eventus jam ostendit, vera dixisse Christum de eversione scilicet Jerosolymæ. Nec minus evenient, quæ futura prædixit de mundi interitu et adventu suo. Et si vero recte expendantur, non denuntiant quidem nobis annum, mensem, diem, denuntiare tamen videntur magnam illius propinquitatem, ut inde nos, in quos sæculorum fines devenerunt, cautiore reddamur. *Sicut quando videmus senem hominem, ait Chrysost. homi. L. in cap. XXIV. Matth. scimus quia propemodum moriturus est; quando autem, nescimus. Sic et cum mundum perturbatum videmus, casurum cognoscimus; quando autem, ignoramus.* Unde et Apostolus I. Thess. V. de die illo ait: *Tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti.* Ut enim mulier habens in utero, propinquitatem partus colligere potest, diem, hebdomadam et mensem certo scire non potest; ita nos adventum illum. Quare nec temere nec frustra egero, si vobis auditores, mundi senium ex verbis Christi, Prophetarum, et SS. Patrum denuntiavero.

I. Cum deficient in terra sancti. Ita sentit S. Chrysost. in cap. I. Matth. cum ait: *Sicut egredientibus Israelitis de Ægypto exterminata est Ægyptus, sic et sancti cum de isto mundo defecerunt, casurus est iste mundus.* Sic ubi

Loth exiit de Sodoma cum uxore et filiabus (solis ibi justis) pluit ignem et sulphur, vastaque est civitas, cui pepercisset Dominus, si vel decem justos ibi invenisset. Quemadmodum domus tunc ruit cum columnæ ejus corruunt aut vetustate tabescunt; ita etiam mundus ruet, cum sancti, quorum meritis et orationibus stat, deficient. Ita enim Rufinus in prologo ad vitas SS. PP. dicere non dubitavit: *Vere mundum quis dubitet meritis sanctorum stare? Venit aliquando abbas Hilarion ad abbatem Antonium, et dicit ei abbas Antonius: Bene venisti Lucifer qui mane oriris.* Et respondit abbas Hilarion: *Pax tibi columna lucis, quæ sustines orbem terrarum, uti habetur in vitis PP. lib. V. tract. XVII. num. IV.* Similiter legimus in vita S. Dominici apud Surto. IV. visum illi aliquando Deum arripere tres lanceas, quibus mundum perderet: videns id Dei Mater advolvitur ejus pedibus et supplicat pro mundo dicens: *Coram esse duos, Dominicum et Franciscum, qui vitæ suæ sanctitate mundum a sceleribus revocare possent.* Sic placatus est Christus, et sancti illi suis, quos instituere, Ordinibus, mundum ad frugem revocarunt. Idem S. Franciscus visus est in somno Innocentio III. Papæ collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere: unde permotus Pontifex regulam ejus confirmavit.

Jam vero quis nescit quam rara sit avis nostro tempore, vir sanctus in terra? Ubi nunc strenui martyres? Ubi mirabiles illi anachoretæ? Ubi sancti illi præsules? Olim perdidit Deus Sodomam, quia decem justos in ea non invenit, Gen. VIII. At quot nunc perderet urbes, in quibus non sunt tot justis? Et vero quis audeat asserere, decimam mundi partem esse justam? Ego sane non ausim.

II. Cum abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, quod ait Dominus Matth. XXIV. et de fine mundi a multis intelligitur. Ita enim S. Gregorius hom. XXXV. in Evang. cum ait: *Quamvis finis mundi ex ipso suo ordine pendeat, perversiores tamen quosque inveniens, quia digne ruinis illis opprimantur, innotescit.* Homo cum deficit a calore, affigi, delirare, baculo nixus incedere incipit, non dubitatur esse morti vicinus; ita etiam mundus, cum frigescere in charitate, torpere ad bene operandum, nihil fere de vita et passione Christi scire, repuerascere sensibus incipit, non procul ab interitu erit. Nimirum postremis sæculis memoria redemptionis nostræ tabescet, et in multorum cordibus pene obliterabitur ob suam vetustatem; adeoque sanguis Christi frigescet, quia ejus memoria et effusio longius recessit. Danielis cap. II. legimus, statuam Na-

buchodonosori per somnium visam, habuisse caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, tibiae ferreas, pedes partim luteos, partim ferreos. Ex qua visione colligit B. Vincentius Valentinus Ord. S. Dominici (qui floruit anno 1415.) mundi finem non procul abesse. Statuam enim illam significare vult Ecclesiam, et caput quidem aureum denotare tempus primitivæ Ecclesiæ usque ad annos CCCC. quando Christiani ardebant charitate in Deum et proximum, quando credentium cor unum erat, quando perseverabant in oratione et fractione panis, offerebant bona sua Ecclesiæ, consurgebant summo mane ad Dei laudes, exterminabant omnia vitia, etc. Pectus argenteum tempus S. Augustini, Hieronymi, Ambrosii, quo tempore Ecclesia patiebatur ab Arianis, ita ut multum a primo splendore perdidit, tametsi tunc multi sancti passim reperiebantur. Sic testatur ipse S. Hieronymus in vita S. Malchi, quod Ecclesia postquam ad Christianos principes venit *Potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor* facta sit. Venter æneus tempus a Gregorio Magno usque ad annum 1200. quo Machomet vastabat Africam, et Christus volebat mundum perdere; sed retinebatur meritis S. Francisci et Dominici, ut supra dixi. Pauciores quidem tunc sancti erant, viguit tamen fides vera et sinceritas animorum. Tibiæ ferreæ tempus ab anno 1200. durans usque ad nos ferreum et indomitum, quousque veluti ferrei homines igne tantum et verberibus, id est, timore pœnæ coerceri debent; non convertuntur miraculis, non moventur flagellis, peste, fame, bellis; erga se mutuo duri, asperi, invidi sunt, nigri, id est, absque candore. Pedes ferrei et lutei tempus Antichristi sub quo erunt homines indurati, et terrenis voluptatibus prorsus immersi ac lutosi. Tum nil supererit, nisi ut lapis sine manibus abscessus decidat, id est Christus ad iudicium descendat, et conterat statuam.

III. Cum deficient fides in terra, id est cum exigua et in paucis reperietur. Id enim indicat Dominus Luc. XVIII. de secundo suo adventu loquens cum ait: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Id quod alii de fide in Deum, alii de fide erga homines exponunt, alii de utraque ut Theophylactus. Et certe qui hæc nostra tempora intuebitur, inveniet utramque magnopere desiderari. Nam quod ad fidem divinam attinet, quis non videt primo imperium infidelium, Turcarum, Paganorum nostro vitio latissime propagatum? Secundo quis non hæresum multitudinem et robor, ita ut integra regna ab Ecclesia abstracta sint? Ante nostra sæcula vix aut nunquam tot regna vel provinciæ ab